

II. — Exequiae defunctorum ad petitionem eorum, quorum interest fieri debent in ecclesia. In coemeterio autem sepulturae a paroco in particulari benedicantur toties quoties aliquis noviter sepeliatur. Quando vero ius stolae, pro tumulatione parochis competens, exsolvi minime possit ab iis quorum interest, quia verbi gratia pauperes omnino sunt, officium sepulturae gratis omnino perficiatur.

III. — Bonum et pium est pro defunctis exorare. Rogamus ergo parochos, ut visceribus misericordiae induti, mense Novembri iuxta Rituale Romanum aliquot pietatis opera in ipsorum suffragium peragant, per totum mensem vel saltem per aliquot dies.

IV. — Omnino prohibemus vigilias illas ad cadavera alicubi per abusum peragi solitas, vulgo *velorios* dictas, in eo sitas, ut praetextu assistentiae ad cadavera, coram defuncto ebrietati aliisque excessibus sese tradant fideles.

V. — Ubi coemeteria ad aliquam societatem particularem et catholicam pertinent, observentur omnes praescriptiones supra allatas, in coemeteriis catholicis observandas.

SECTIO V.

DE VITA CHRISTIANA

« Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est, ait Dominus noster Iesus Christus, ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me

manseritis » (Ioan, xv, 4, 5). Ex his verbis clare percipitur totam in eo esse christianam vitam, ut totis viribus et conatibus Christo adhaereamus, ut vitam communem cum illo habeamus. Unius quippe naturae sunt vitis, et palmites. Propter quod cum esset Deus cuius natura non sumus, factus est homo ut in illo esset vitis humana natura, cuius et nos homines palmites esse possemus (S. Aug. Tract. in Ioan.).

A Patre misericorditer praedestinati conformes fieri imaginis Filii sui summum studium vestrum sit in vita Iesu Christi meditanda: exemplum enim dedit vobis, ut quemadmodum ille fecit, ita et vos faciatis (Ioan. XIII, 15).

TITULUS I.

DE FIDE ET PIETATE CHRISTIANA.

Oportet homines viatores imprimis iam viam agnoscere, per quam ad finem recte et facile possint pervenire. Via autem ad Patrem, totius veritatis origo et aeternae nostrae summae felicitatis fons, Christus est; nam ille dixit: « Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me » (Ioan. XIV, 6). « Creditis in Deum et in me credite. Si cognovissetis me et Patrem meum utique cognovissetis. . . . qui videt me, videt et Patrem » (Ioan. XIV, 1, 7, 9). Propter quod Redemptor Dominus dum visibiliter in terris apparuit et cum hominibus conversari dignatus est, sive coram omnibus, sive familiariter, cum discipulis de Patre indesinenter loquebatur, ut nominis sui gloriam, et eius erga homines caritatem aeternam universo mundo revelaret. Pater. . . . manifestavi nomen tum hominibus, quos dedisti mihi de mundo (Ioan. XVII, 6). Et notum

feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis (Ioan. xvii, 26).

I. — Multum ergo oportet Dominum Nostrum Iesum Christum fide cognoscere, ut Patrem agnoscamus; et totis fidei viribus credere nos, Patrem habere Deum qui aeterna caritate amat nos, quia Christum diligimus. Alte in cordibus nostris insitum sit; non accepisse nos a Christo Domino spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim spiritus reddit testimonium conscientiae nostrae quod sumus filii Dei (Ioan. viii, 15, 16).

II. — Magnam fidem et pietatem in Deum habere debemus, et non ut servi, sed ut filii amantissimi Patris absoluta fiducia credere illum nobis esse donaturum quidquid ad nostram sanctificationem et aeternam salutem necessarium sit.

III. — Nullus de sua aeterna salute desperet, etiam si magnam cum diabolo et suis inordinatis affectibus luctam sustineat, et cor in malum proclive constanter sentiat.

IV. — Intrate charissimi, per angustam portam et arctam viam quae ducunt ad vitam: Deus enim impossibilia non iubet, sed perfecta; et iubendo monet facere quod possitis, petere quod non possitis. (Conc. Trid. *De Iustificat.*). Nam, si attenta infirmitate naturali nostra et originali corruptione superaddita, non solum difficile, sed impossibile est nos salvos fieri; attenta Dei gratia et misericordia, non solum possibile, sed leve et suave est iugum mandatorum Domini portare et vitam aeternam obtinere. Quare cum discipuli admirarentur dicentes sibimetipsis: et quis potest salvus fieri? Intuens illos Iesus ait: Apud homines im-

possibile est, sed non apud Deum: « omnia enim possible sunt apud Deum » (Marc. x, 27).

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae (Hebr. iv, 16) postulemus eam a Patre in fide nihil haesitantes (Ep. Iacob. i, 6). Ipsa enim veritas non cessat clamare: « Omnis qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti, aperietur. Si quis enim ex vobis a patre petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se? (Luc. xi, 10, 11, 12, 13).

TITULUS II.

DE CHRISTIANA CARITATE.

Quia non omnes possunt profunda legis Dei scrutari et omnia et singula praecepta eius in mente retinere, a Christo Domino data est lex in compendium redacta, quae primo intuitu cuilibet patet; ita ut ab omnibus possit observari et nullus propter ignorantiam possit ab eius observantia excusari: et haec est lex divini amoris. « Verbum brevium faciet Dominus super terram » (Rom. ix, 28).

« Manete in me, et ego in vobis, dicit Dominus » (Ioan. xv, 4). Manere in Christo est eum diligere: diligere autem, est eius praecepta servare. « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea » (Ioan. xv, 10). Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum

autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae (Matth. xxii, 37, 38, 39, 40). Initium ergo progressus et spiritualis vitae perfectio, in caritate est. « Nam qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo » (Ioan. iv, 16) et qui non diligit, manet in morte (I. Ioan. ii, 14).

Cum igitur non solum quod ad regimen, sed etiam quidquid ad aedificationem fidelium attinet, haec Provincialis Synodus statuere velit, hoc dominicum praeceptum commendare fidelibus una cum mediis opportunioribus ad illud adimplendum decernit:

I. — Quia nullus a se caritatem habere potest, cum solius Dei donum sit omnia alia dona longe antecedens, enixe et specialiter quotidie a Patre luminum postulandum est, ut per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffundatur.

II. — Etsi caritas sit donum Dei, ad ipsam tamen habendam requiritur dispositio ex parte nostra. Disponuntur autem ad caritatem recipiendam qui corde bono et optimo verbum Dei audiunt.

Ut enim audientes bona de aliquo, eius dilectione accendimur; sic et Dei verba audientes, accendimur in amorem ipsius: propterea illi duo discipuli divino amore aestuantes dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Studeant ergo omnes fideles assidue quoties in Ecclesia verbum Dei annuntiatur prompta voluntate eum audire, et corde audita retinere, et cum Propheta dicere: Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud (Psalm. 118).

III. — Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (Psalm. 38, v. 4). Con-

tinua meditatio perfectionum Dei et beneficiorum nobis factorum, aptissimum medium est ad caritatem acquirendam. Durus enim nimis corde esset is, qui cogitans amabilissimas Dei perfectiones, divina beneficia quae consecutus est, pericula etiam quae effugit, et beatitudinem quae sibi a Deo promittitur, divino amore non accenderetur. Auferte ergo malum cogitationum ab oculis vestris (Isaias i, 16) sicut enim malae cogitationes destruunt caritatem, ita bonae eam acquirunt, nutriunt et conservant.

IV. — Cum nullus valeat Deum simul et mundum diligere, quo longius ab amore terrestrium aliquis discesserit, tanto magis in dilectione divina firmabitur; unde Augustinus dicit: Caritatis autem venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum eius est imminutio cupiditatis, « perfectio, nulla cupiditas » (Quaest. xxxvi, n. 1). Omnes igitur fideles studeant caritatem nutrire per imminutionem cupiditatis, id est, amoris adipiscendi aut retinendi inordinato affectu bona huius saeculi transituri.

V. — Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Nihil est quod magis ad acquirendam et conservandam caritatem conferat, quam timor filialis et reverentialis Dei. Nihil enim magis timet amans quam offendere amatum, quia nihil magis quam voluntati et praeceptis eius obtemperare desiderat. Quapropter omni studio quaerite et conservate sanctum Dei timorem: eum filiis vestris et famulis et omnibus quibuscumque poteritis diffundite, nam qui timet Deum facit bona, et e contra, malorum quae in mundo perpetrantur unica origo est timoris Dei defectus. Orate suppliciter quotidie cum sancta Matre Ecclesia: santi nominis tui, Domine, timorem pariter

et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis.

TITULUS III.

DE DEO SUPER OMNIA DILIGENDO.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum (Marc. XII, 30). Vere istud est maximum, nobilius et utilius inter omnia; quod si perfecte aliquis adimplet, totam legem implebit. Summa officia creaturae ad Creatorem, hoc uno includuntur praecepto. Cum ipse Deus det omnibus vitam et inspirationem, omnia Deo Creatori nostro offerre debemus; ut nosmetipsos quasi hostias viventes et rationales quotidie in conspectu Altissimi exhibeamus.

I. — Diligite ergo, fratres carissimi, diligite Deum ex toto corde, id est, bona et recta intentione soli Deo placendi, et proximum vestrum propter illum. « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite » (1^a Cor. X, 31); ait enim Dominus: « Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit » (Math. VI, 22, 23).

II. — Diligite Deum ex tota mente, id est, rectitudine bonae voluntatis; intentio non sufficit si quod facere intendimus cum divina voluntate conforme non est; si quod volumus, Deus non vult. Studeamus igitur bonum facere, sed secundum Dei voluntatem. Ait enim Dominus: « Non omnis qui dicit mihi: Domine,

Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est » (Matth. VII, 21).

III. — Diligite Deum ex tota mente, id est, in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (II, ad Cor. X, 5) omnia quae Christus docuit et promisit, omnia quae ipse infallibili Ecclesiae magisterio proponit, humillima fide et submissione credentes: a sapientibus huius saeculi, qui adversus scientiam Dei hodie magis se extollunt, auditum omnino avertentes.

IV. — Diligite Deum ex tota fortitudine, id est, omnibus corporis et animae viribus Deum diligite. Indesinenter operari oportet, sive in bono faciendo sive in malo vitando aut ferendo propter Deum. Numquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, non est amor. « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis » (Psal. CXI, 1). Si vult nimis qui timet, quanto magis volet in mandatis eius qui amat? Diligere Deum tota fortitudine est magna propter illum operari, et reputare parva; operari multa, et reputare pauca, operari diu et reputare breve. Tota fortitudine Deum diligere, est omnia arbitrari ut stercora ad Christum lucrificandum (Philip. III, 8); et semel in caritate Christi fundatos cum Apostolo dicere: Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino Nostro (Rom. VIII, 35, 38, 39).

TITULUS IV.

DE CARITATE IN PROXIMOS.

Legislator divinus Christus Dominus utpote necessariam sequelam amoris Dei, amorem proximi insinuat et mandat expressis verbis dicens: secundum autem praeceptum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et signum quidem certissimum est veritatis divini amoris in hominibus vera in proximum caritas. Nam si quis dixerit se diligere Deum, et fratrem suum odit, mendax est (I. Ioan. IV, 20). Omnes fideles corpus et membra Christi sunt (I^a Cor. XII, 27) et qui eos odit, Christum vere odit; propterea quasi aliorum praeceptorum immemor Salvator, hoc praeceptum discipulis commendavit, quasi summam totius evangelicae legis erga proximum dicens: « Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (Ioan. XV, 12): et quasi visibile et universale signum agnoscendi Christi discipulos, caritatem monstrat: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (Ioan. XIII, 35).

I. — Diligite proximos vestros, non propter utilitatem aut delectationem ab ipsis consequendam, quia tunc vere illos non diligimus, sed nos ipsos diligimus; bonum nostrum quaerimus, non eorum. Illos diligamus propter Deum, eos in summum bonum trahere omnibus viribus studentes.

II. — Non diligatis verbo neque lingua, sed opere et veritate (Ioan. III, 18). Efficaciter eos diligite. Studeat ergo unusquisque operam dare, ut quidquid ad bonum spirituale vel temporale proximi conferat pro viribus ab eodem assequi possit.

III. — Ex confraternitatibus aut congregationibus quibuscumque, auctoritate legitima institutis vel approbatis ad opera misericordiae et caritatis promovenda, saltem aliquibus nomen date. Si enim frater et soror nudi sunt, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quae necessaria sunt corpori, quid proderit? (Iacob. II, 15, 16).

IV. — Maxime qui affluunt divitiis audiant Apostolum Ioannem praedicantem: Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo? (I. Ioan. III, 17).

V. — Pacem cum fratribus semper habete. « Diligite eos sine simulatione » (Rom. XII, 9) sunt enim qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum (Psalm. XXVII, 3). Audite Dominum per Profetam dicentem: « Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum; Diverte a malo et fac bonum: inquire pacem et perseguere eam (Psalm. XXXIII, 11, 12, 13).

TITULUS V.

DE CHRISTIANA HUMILITATE ET OBEDIENTIA.

Si quis vult ad vitam christianam ingredi, per viam quam Salvator aperuit verbo et exemplo eum incedere oportet. Primus homo perit superbiendo, inobediendo, visibilia sectando; Christus autem Dominus eum salvavit, et novam ostendit viam aeternae salutis, se ipsum humiliando, gloriam huius mundi calcando. Inspicite ergo

exemplar quod monstratum est vobis in monte: cernite Iesum in cruce, ubi factus est vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Cernite eum humiliatum, exinanitum, obedientem usque ad mortem crucis. Discite gloriam et divitias huius saeculi despiciere, videntes vulpes foveas habere et volucres coeli nidos, Filium autem hominis non habere ubi caput reclinet. Quis extollet caput superbiendo, cum Iesus illud inclinet se humiliando? Quis inobediens erit, eum videns usque ad mortem obedientem? Quis honores quaeret et divitias amabit, nudum Iesum in cruce videns? Tale exemplum secuti, discite humilitatem et obedientiam.

« Obedite praepositis vestris et subiaceate eis » (Rom. XIII) « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit » (Hebr. XIII). Oportebat ut homo, ait Augustinus, sub Domino positus, ab aliquo prohiberetur, ut esset ei virtus merendi obedientia. Dum enim intendit aliquis propriam voluntatem facere, non videtur in hoc mereri nisi apud semetipsum: ab illo enim merces speratur cuius voluntas fit. — Obedite :

a) Libenter: invita sacrificia Deo non placent, propterea Moyses ait: Iste est sermo quem praecepit Dominus. Omnis voluntarius et pronus animo offerat primitias Domino (Exod. xxxv).

b) Simpliciter: simplicitas obedientiae Deo imperante vel per se, vel per eum qui est loco sui, honorifica est, et ideo valde ei accepta, cum scilicet aliquid, eo quod a Deo dicitur, creditur verum: eo quod ab ipso iubetur, habetur ut bonum.

c) Gaudenter: Hilarem datorem diligit Deus, serenitas in vultu, dulcedo in sermone multum decorant obedientiam. Non moveat te magistri imperiti indi-

screta potestas, nam quidquid vice Dei praecipit homo, quod tamen non sit certum displicere Deo, non aliter omnino accipiendum est quam si praecipiat Deus. Quid enim interest utrum per se, aut per suos ministros, sive homines, sive angelos innotescere faciat suum beneplacitum Deus?

d) Prompte: proprium est libenter facientis cito facere. Vidisti hominem velocem in opere suo? coram regibus stabit (Prov. xxii).

e) Fortiter: Christum sequimini qui etiam ignominiosam mortem non recusavit. Illa etiam Apostoli verba memorantes; non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.

f) Humiliter: Magna virtus humilitas sine cuius studio virtus fortitudinis fere semper in superbiam degenerat: Cum feceritis omnia quae praecepta sunt, adhuc dicite: servi inutiles sumus.

g) Perseveranter: qui enim perseveraverit usque in finem salvus erit.

TITULUS VI.

DE PATIENTIA CHRISTIANA.

Cum militia sit vita hominis super terram multum indiget patientia. In coelo non est necessaria patientia ubi mala non sunt, nec in inferno, quia mala quae ibi sunt patientiam excedunt, sed in valle lacrimarum admodum necessaria est. Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones, ait Apostolus. Memores exempli magistri nostri qui, cum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est obedientiam: aerumnas non timere, non refugere, sed aequo animo ferre ad-

nitamur; ex his fructuosam et laudabilem obedientiam deducere studentes.

Patientia est virtus quam cum Christo Domino communem habemus. Quae autem gloria Christo Domino similem fieri? Quanta felicitas habere in virtutibus quod divinis posset acquiri laudibus? Ille summe innocens et iustus inter facinorosos deputatur, et falsis testimoniis premitur, iudicaturus iudicatur, et Dei Verbum ad victimae conditionem tacens redigitur: et cum eo e cruce pendente obscurentur sydera, contremiscat terra, turbentur elementa, ille nec movetur, nec Maiestatem suam profitetur, ut in eo plena et perfecta patientia consummetur (S. Cyprianus *De bono patientiae*). Non aliud magis iustos et iniustos discernit, quam quod in adversis per impatientiam blasphematur iniustus, queritur, et aliquando etiam sibi eripit vitam; patientia vero iustus probatur.

In patientia possidete animas vestras. Cohibete interiorem hominem ab illicito appetitu vindictae; linguam a contumelia; manum a violentia: odor Christi sumus. Sicut aromata odorem suum cum incenduntur, expandunt, ita viri sancti, omne quod virtutem redolet, in tribulationibus manifestant.

TITULUS VII.

DE SOCIETATE CHRISTIANA.

Si fideliter et sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, ait S. Leo M. Pp., invenimus « hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo,

divinae forma resplendeat benignitatis: » Forma proinde et ratio vitae christianae desumenda est ex vita et doctrina Christi; quid docuit, quid egit, hoc docet fides, sine qua impossibile est placere Deo: ex fide spes, ex fide et spe, Dei gratia adiuvante, nascitur caritas.

Primum igitur vitae christianae requisitum erit, ut solida sit fides nostra, ut non circumferamur omnivento doctrinae, ideoque unusquisque pro statu et conditione sua habeat debitam notitiam eorum, quae ad fidem pertinent, et convenientem in fide catholica instructionem. — Sed fides sine operibus mortua est: Christus etiam non docuit tantum, quae credere debemus, sed *coepit facere et docere*; doctrina ostendens vitam salutis, exemplo suo nos invitans et illuminans. Audiamus doctrinam Christi: diliges Dominum Deum tuum, ex tote corde tuo, ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis, proximum tuum sicut teipsum; ex his duobus praeceptis universa lex pendet. » Verum quid est dilectio Dei? respondet Dominus: « Qui observat mandata mea, ille est, qui diligit me. » Hinc frustra quis sibi blanditur de dilectione, si verbis mutis et magnis de Dei perfectione loquitur; affectibus etiam Dei amorem protestatur, ipse legem non observans. Qui observat mandata, ille est qui diligit. Virtus igitur primaria hominis christiani est obedientia.

Et hac sola virtute ostenditur vera dilectio Dei: si diligitis me, mandata mea servate. Equidem Christus Dominus hanc obedientiam suo exemplo etiam nobis inculcare voluit: *propterea* veni in mundum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Et de puero Iesu legimus: « erat subditus illis, » et nocte ante mortem in cruce, « non mea, sed tua voluntas fiat, » exclamat.